



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 1. Nuntii in Germania pro convocando Concilio.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)



*Pisciaccense Colloquium.*

*Nauber sc. A. 9.*

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER CLVI.



PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,  
FERD. I. OCC. IMP.

§. I.

*Nuntii in Germania pro convocando  
Concilio.*

Interea negotium, quod Synodum paulo post Tridenti restaurandam concernebat, haud parum Pontificis animi distentum reddebat; jamjam enim

Sæcul. XVI.  
A. C. 1561.

*Pallav hist.  
Conc. Trid.  
l. 15 c. 2. n. 1.*

*Hist. Eccles. Tom. XLIV.* A illa



Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

illa edito diplomate Pontificio ad proximam Paschatis hebdomadam currentis anni quingentesimi sexagesimi primi supra millesimum erat indicta, atque ipsemet Pontifex hanc in rem suos nominabat Nuntios, qui ejus Bullam ad cunctos Principes tam Catholicos, quam Protestantes deferrent, quos inter in Germaniam destinati jam Mense Decembri discesserant, eorumque erant duo Zacharias Delphinus Pharæ in Dalmatia Episcopus, necnon Joannes Franciscus Commendonus Zacynthinus Antistes; porro dudum jam Stanislaus Hosius natione Polonus, ac Varmix Episcopus ad idem regnum profectus in Cæsaris aulam venerat, ibidem subsistere jussus: donec vero hi ambo pariter adventarent, illi, qui jam aderant, de opportunis remediis inter se conferebant.

## §. II.

*Papæ Nuntii ad Cæsaris alloquium admissi.*

*Pallav. l. 8.  
num. 3.  
Anton. Mar.  
Gratiani in  
vita Commend.  
l. 2.  
cap. 1.*

Alterâ die Pontificis Nuntii ad Cæsaris palatium deducebantur, atque præ reliquis præcipue Commendonus perbenigne exceptus erat a Ferdinando, cui literas sibi a Papa commissas tradidit, paucisque Pii IV. mentem exponens hæc effatus est: „Tandem sumus